
I



QUÆSTIO MEDICA.

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS MANE DISCUTIENDA

IN SCHOLIS MEDICORUM,

Die Jovis 18. Novembris.

M. CLAUDIO BERGER;

DOCTORE MEDICO,

E REGIA SCIENTIARUM ACADEMIA, PRÆSIDE.

An solus inter Medicos qui sapere potest & fari, verè Medicus?

I.

HOMO, quem θνητὸν Θεὸν vocat Philosophus, longè præstantiori supra cæteras animantes conditione spectabilis, corpus sortitus est à Deo Optimo Maximo, non imperiali verbo, ut cætera creata, sed propriâ ipsius manu constructum: Hinc attende, quam iniqui sint rerum Æstimatores, qui ex fortuitis atomorum concursationibus compingi censent. Hæc admirabilis corporis machina, medium hominis constituit; corruptionis verò labem effugit, suique integritatem servat quam potest diutissimè jugi sanguinis motu, cujus suavi rore indesinenter irrigatur, sustentatur, vivit. Sanguis autem vitâ privatur, nec à sanguine sanguis, naturam sanguinis accipit: ab aëris puritate fit purior, perfectior, subtilior & auctior ipsi permistus. Corpus ex Animi nobilitate non mediocriter splendescit, cujus regium est domicilium; ille siquidem cogitationis & rationis compos, decus omne suum è cœlo repetit, corpus è cœno. Quamdiu autem animus unitur corpori, impari quidem conjugio, non ampliùs sui juris est, huic illigatur & inhæret forti adeo connexu, ut alter alteri bona sua & mala communicet; unde inter ornamenta Medicinæ haud hoc posterius, quod non corporis tantum, sed etiam animi curam gerat; utrumque corpus & animus verum est medicinæ subjectum; utriusque functiones ab utroque malè affecto perperàm obeuntur & læsionem subeunt; utrique medicina fert opem, dum corpori prospiciens in sano corpore sanam tuetur mentem, & ejus perturbationes compescendo, animi sanitatem inducit. Infunditur cum vitâ animus, sed divinæ ejus dotes primis tenerisque annis corporeâ mole obruuntur, è quâ emergere hoc opus hic labor est, nisi proprio & naturali lumine, seu notionis ipsi innatæ stimulis incitetur, ut habens in se à naturâ semina quædam & principia virtutum omnium, quarum insitâ vi ad Artem quamlibet comparandam promoveatur, & ad exercitia, studia, contentiones tam prudenter consilia sua dirigat artis medicæ possidendæ cupidus, ut verè medentis officium implendo, verè Medicus audiat.

II.

SAPIENTIÆ cum medicinâ, medicinæ cum ſapientiâ mira ſocietas: quid enim aliud eſt medicina, quam ex longis meditationibus, obſervationibus, diurnis nocturniſque ſtudiis & laboribus coacervata ſapientia. Ut quis ergo ſapiat in rebus medicis, primas rerum cauſas acri & intento animo intueatur oportet, & quæ ſunt involuta, & obſcuritate naturæ latent, contempletur, plurimum operæ & induſtriæ impendens, ut veram & ſolidam rerum cognitionem attingat: Hominem intus & in cute conſideret, quanta ſit in eo ex ætate, ſexu, habitu, educatione, ſtatu, exercitiis, ſolo, regione varietas; quam diverſis pravorum affectuum tum corporis tum animi generibus oppugnetur, quorum inſultibus peropportunè occurrendum. Rerum inquiſitioni, quas provida natura è ſinu ſuo liberaliter fundit, ſe totum addicat neceſſum eſt, ut & naſcentia ubique animalia, plantas, mineralia, diligenter perpendat; intret quoque in rerum naturam, & tanquam aſſiduus ſpeculator venatorque, ſubeat abſtruſos illius receſſus, ut his laborioſis operibus principia rerum abditè latentia in lucem prodeant, & indè veritas velut ignis ex ſilice excutiatur. Facem præbentes medicinæ principes Hippocratem naturæ genium, ejuſque voce loquentem, & Galenum fidiſſimum ejus interpretem perpetuò tenetur evolvere, in quibus vera methodus medendi prægustatur: hæc inter innumera dogmata, contraria contrariis curari docet; calorem eſſe febris eſſentiam; frigida febribus conducere; ſymptomatis remedia non deberi; ſolis alimentis ſuſtineri vires, vigentibus morbis tenui victu utendum: cujus demùm methodi præcepta certa & recta ad finem conſequendum, ab indicationibus petita, ratione & experientiâ ſtabilita, ſupra omnes methodos, quæ nil niſi incongruum, nil niſi fortuitum ſonant, palmam auferunt. Nec in veterum dumtaxat, ſed & recentiorum indefeſsâ lectione, magniſque experimentis, artis medicæ ſcientia fundatur; nulla etenim eſt ætas, in quâ novarum rerum inventione medicinæ fundus non diteſcat: & quod in hac arte ſublimius eſt, verè Medicus morbum adventantem præſentit, quæ ſunt eventura, clarè præmonſtrat, & ab imminentibus periculis tanquam Dei manu ægros ſuos tuetur. Hi ſunt nitidi ſapientiæ fontes, quibus jucundi veræ medicinæ hortuli fæcundantur, cujus ſectator diligens, ſi cum præclaris illis cognitionibus, præſtanti ſit indole, & adjunctas habeat virtutes modeſtiæ, prudentiæ, temperantiæ, gravitatis, liberalitatis, verè Medicus prædicabitur, adeo ad naturam egregiam virtutum & doctrinæ valet acceſſio.

III.

INGENII lumen æſtimatur virtus illa, quâ ſuos ſenſus nitidè quis exprimere valet; ſpecies eſt ſapientiæ; nec parùm inde commendationis & gloriæ Medicus ſibi conciliat, qui non vulgari rerum omnium quæ medicinam ſpectant ſcientiâ imbutus, ut & agendi curandique viâ certiori munitus, tum publicè tum privatìm apud omnes ſuæ ſapientiæ probationem exhibet, dum ſapere & fari poteſt quæ ſentiat, ſenſaque ſua tam decenter explicare loquendo & ſcribendo, ut ab omnibus audiatur: ad hunc ſcopum collimare ſtudet, & libenter amplecti & eligere verba nitida, clara, elegantia; vitare inuſitata, obſoleta & plautinam ſiccitatem redolentia; Averſetur quoque & reſpuat obſcuram diligentiam, ut & barbariem, quæ à Scholis noſtris jamdiu exulavit: piaculum quippè eſt in præſentiâ, ruſticorum more loqui horridè & inficetè; ſermo interioris hominis ſpeculum eſt, & veluti coticula cognitionis & doctrinæ, ut is optimè dicere cenſeatur, ſi nihil dicat niſi quod benè ſciat. Arridet quoque & grata eſt penè omnibus gravis verborum proprietas, non brevitas nimiùm contracta, non magna profuſio, & volubilitas, in quibus ſanè non conſiſtit locutionis lepos & perfectio: vera etenim Sapientum eloquentia, eſt ſapientia propriè, conciſè, & ſignificanter loquens: hoc dicendi ge-

nus retinet, & ut ſui proprium ſibi arrogat verè Medicus, & ita de omnibus naturâ duce ſentit, vix ut ſciant an majori ſit admirationi ſermonum elegantia, an rerum ſcientia, quæ verborum ornatu auctior multò fit & clarior. Præterea hiſce dotibus & ornamentis, tanquam auxiliis efficacioribus verè Medicus perturbatum ægrorum animum ſedat, & ab eo tamquam ab oculis caliginem diſpellit, affertque medicinam conſilii & orationis: neque ſolùm ægrotationum, quæ ſunt corporis, ſed etiam ægritudinum, quæ ſunt animi curam habens, apud ægros Χαρίεις ſeu gratioſus habebitur.

I V.

A MEDICORUM familiâ jure rejiciuntur, nec præſtantiſſimæ hujus artis nomine ſuperbire debent, qui eam ipſam artem, quam primoribus labris nequidem attigerunt, audent exercere. Num indignis hominibus & circumforaneis in manum paratorum & notorum remediorum uſus committendus, qui, quæ ſunt parta ſaluti, vertunt in exitium? num æquiùs craſsâ medicamentorum ſcientiâ, quæ vilibus mancipiis domuum, herbariis, mulierculis communis eſt & trivialis, quam perfectâ eorumdem cognitione, & iis utendi peritiâ Medicus conſtituitur? quis neſcit miles exercitatus quantò præſtat inexercitato? nec quoque is optimus perhibetur artifex, qui materiem pretioſam, & affabrè facta poſſidet inſtrumenta, ſed qui doctâ manu tractare novit, & opera perficere? an quis adeo improvidus adduci poteſt ut credat, hujus ſortis homines, abſque ullâ naturæ motvumque ejus obſervatione, quos ſæpenumerò intercipiunt, veram tenere & ſecuram ad ſalutem viam, quæ tota fortunæ creditur? an unquam temeritas cum ſapientiâ commiſcetur? & tamen ad eos homines tanquam ad Deos è cælo delapſos undequaque concurritur: Et plerique Magnatum, ut ſe ipſos ſervent, non expergiſcuntur; & exuentes quidquid habent communis ſenſus, eas ſequuntur nugas, ſibi dari verba patiuntur, & hos errores vulgi, peſſimi licet magiſtri, pueriliter ſugunt (adeo verum eſt cujuſlibet artis ignaros circa eam cæcutire, neque diſtinguere neque admirari poſſe veros artifices) Nec ſubductâ ſecum ratione, hoſce ſtropharum miniſtros audiunt, dum pingue quiddam ſonantes atque peregrinum, novo quodam aucupio, ſpecifica ſeu arcana jactant ſibi ſolis cognita, è longinquis regionibus tranſvecta, non re equidem ſed fuco & dolis artificum pretioſa, quorum uſu, ſi credere fas eſt, ἀθανασίαν promittunt (quid non promittit, quid non novit Græculus eſuriens) & ita miſerè ludificant ſimplicem popellum rei novitate perculſum, qui etiam exiſtimat optimos Medicos qui ſe fingunt Arabas aut Indos, quique longo locorum intervallo famam aucupantur apud ſtultos. Ex horum numero primi occurrunt ἄτεχνοι καὶ ἄπιςοι, quibus pro virtute ſola eſt felix temeritas: alii toti ex facie medici; hi totam ſubſtantiam induti; alii è patriâ transfugæ & exules; illi planipedes & ſordidi artifices, ſtupore vulgi nobiles facti: quidam demùm impii votorum deſertores, falſarii & perditiſſimi nebulones, qui omnes hiſtrionibus ſimiles, perſonam repræſentant quam non ſuſtinent, & nullâ medendi face illuſtrati, maximam calamitatem inferunt vitæ; & quod eſt gravius multo ac durius, nihil ex conſcientiâ metientes, haud ita magnâ mercede negotiantur animas, pro medicamentis pocula venenata miniſtrant, & ſecuro ſcelere, ideoque & frequenti, diris adeo & facinoroſis miſeros ægros funeſtant modis. An ad hæc præclarè geſta ſeu flagitia legumque contemptum qui connivent, nec huic nequitiæ modum figunt, ſapere præſumentur.

V.

VULGARE Medici nomen, ſed rarus verè Medicus: benè & ſapienter medentis titulo jurè inſignitur, quem recta tenet conſcientia, nec unquam auri ſordidus amor occupat, cuique largus ineſt & exundans ingenii fons: & dum ad praxim accedit, ſi natus ad medicinam, tum educatus & verſatus in liberalibus ac

bonis disciplinis, tum rebus philosophicis & medicis ad unguem informatus, seriò cogitat, idque in animum inducit suum, se perpetuum esse naturæ imitatorem paratumque modis omnibus summo illius imperio obtemperare, quæ, licet absque ratione, omnia sapienter administrat, quâ duce errari nullo pacto potest: si naturæ ut & artis Minister, rerum omnium adprimè memor quæ sui sunt muneris, investigat in ægro partem affectam, ubi est sedes morbi, tum partis situm cujus functio læditur, observando quoque quid excernitur, quid retinetur: si morbi causam penetrat, speciem ejusdem & mores per signa propria; solus enim Medicus qui potest cognoscere, potest & sanare: si quemadmodum Duces in bello faciunt, explorat quo potissimum principio æger vocetur in vitæ discrimen, illiusque principii signa bona & mala ponderet & inter se conferat: si præmissis quibusdam salutaribus auxiliis, medicamentorum usus exigitur, horum peritissimus & perfectè sciens, quæ ex toto terrarum orbe deportantur, pauca, judicio selecta, secura & idonea pellendo morbo & ægrotantis solatio præscribit, non imitatus illos πολυφαρμάκους, qui magnum ignorantiæ suæ argumentnm exhibent, cum ægrotantes suos remediorum multitudine obruunt, illud unum nescientes quod opus est. Si rogatus de morbo ejusdemque causis, non hærens perplexusque, aut admodùm perturbatè, miserè & jejunè, quidquam pronuntiat ut Agyrta, sed eloquium cum suâ sapientiâ jungens, nitido & apposito sermone ad quæsita respondet, suæ doctrinæ, eloquentiæ, prudentiæ specimen ubique reddens. Si etiam animus, quem succus herbarum non attingit, laborat perturbationibus, quæ sunt ejus παθήματα seu affectiones, indiget tamen & ille medicina, ab ore sæpiùs quam ab officinâ depromi censet, quæ verbis amicis & teneris, infirmum animat jacentem erigit, exulceratum solatur. Si demùm, quod ei gloriosum ac pene divinum, præteritorum gnarus, præsentium accuratus observator, futurorum vates egregius, uno quasi intuitu complectens universa, tamquam ex aliquâ speculâ prospicit tempestates futuras, easque præcavendo, tempestivis præsidiis, idoneâ victus lege, puriore cælo, animi relaxatione, ambulatione, venatione, aliisque moderatis exercitationibus corpus recreari curat & alacrius reddi; hancque suam sibi & propriam laudem esse reputat, ut à tergo pariter & à fronte sit oculatus, hoc est quam plurimùm sapiat, deinde quidquid sapiat, Clienti suo sapiat non sibi; numquid Aureus Vir Ille tibi videbitur, artis integræ possessor eximius, dignissimusque censendus, qui hisce armatus sapientiæ decretis, hacce dicendi virtute distinctus, Magno Imperatori faciat medicinam, ad cujus salutem & acriter & scienter incumbens, ipsi, pietate, sapientiâ, rei militaris peritiâ virtute, authoritate, felicitate supra omnes conspicuo, consiliis suis saluberrimis τειτάτην γενεὴν seu nestoreos annos procuret.

Ergo solus inter Medicos qui sapere potest & fari, verè Medicus.

Domini Doctores disputaturi.

M. Joannes Baptista Dodart.	*M. Franciscus Goüel.*	*M. Michaël de la Vigne.*
M. Philippus Douté.	*M. Nicolaus Brunel de la Carliere, Professor Pharmaciæ.*	*M. Petrus Perreau.*
M. Amandus Douté.	*M. Joannes Baptista Doye.*	*M. Bertinus Dieuxivoye.*

Proponebat Parisiis JACOBUS FOURNEAU Parisinus, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1700.

Apud FRANCISCUM MUGUET, Regis & Facultatis Medicinæ Typographum.